



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,
opusculum:||**

Clicthove, Josse

Coloniae, 1527

VD16 C 4208

Quis hor[um] Christi uerbor[um]: hoc est corpus meu[m]: proprius est
sensus & quomodo illorum uirtute: fit consecratio sanctae eucharistiae.
XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30220

EVCHARISTIAE. I. 73

articulus ille transubstantiationis & subsistentiae
accidentium sine subiecto, in sacra eucharistia, ex
sacrae literae fonte euangelicoq; testimonio re-
cta ratiocinatione deducatur: eximius autor, erudi-
tioneq; praclarus, Thomas Vualden: circa finem
septuagesimi quinti cap. sui libri de sacrament. lu-
culenter & egregie demonstrat.

Thomas
Vualden

¶ Quis horum Christi uerborum, hoc est cor-
pus meum, proprius est sensus: & quomo-
do illorum uirtute: fit cōsecratio sanctae eu-
charistiae.
Cap. XXII,

DEmum id su perest disquirendū: qua
uirtute & efficacia fiat hmōi trāsmu-
tatio, & accidentiū sine subiecto per-
manentia, in ipsa cōsecratione eucha-
ristiae. Et paucis rēndendum est: hęc
omnia fieri uirtute uerborum Christi, ad perficien-
dam huiusmodi consecrationem, ab ipso designa-
torum. Quibus integre a sacerdote prolatis, non qui-
dem in sua sed Christi loquentis persona: mox ad-
miranda perficitur hęc (quā ante explicauimus)
transmutatio. Vt in fine prolationis uerborum sup
hostiam sacram: conuertatur panis in uerum Christi
corpus, & finita pronuntiatione uerborum ad con-
secrationem calicis accommodatorum: subito uinū
in preciosum Christi sanguinem sic conuersum.
Ad quod fidelibus psuadendum, non rōnibus phi-
losophicis aut demonstratorijs opus est: sed sola et
solida fide catholica, q̄ profiteatur non esse impos-
sibile apud deum omne uerbum. & firmiter tene-
at, q̄ sicut omnipotēti dei uerbo producta sunt o-
mnia q̄ ante nō fuerant: ita uirtute eiusdem ines-

Lucæ. 1.

Gene. 1.

K

DE SACRAMENTO

Pfal. 67

Eccl. 8

2.

Obiectio-
nis dilutio

Augusti.

fabili, q̄ subsistunt, in alia transmutari posse, pro
beneplacito suæ uoluntatis. Dedit. n. uoci suæ dñs
uocem uirtutis: & omni efficacem uim agendi q̄
uoluerit. atq; (ut ait Ecclesiast.) sermo illius: pote-
stare plenus est. ¶ Q̄ si quis obieceret. Sicut i prin-
cipio aut circa medium prolationis eorū uerborū,
transmutatio illa non fit: qm̄ necdum perfecta est
orō, & nondum ex omnibus suis partibus cōpa-
cta propositio, ita pronuntiatiōe illius cōpleta, cō-
uersionem illam fieri non posse illorū uirtute uer-
borū: qm̄ iā tota desijt oratio atq; defluxit, ob suc-
cessiuam & transitoriam uocis conditionem, q̄ cū
primū prolata est: protinus tenues uanescit in au-
ras. Et hoc pacto nullū uidetur assignari posse tē-
pus aut momentum quo fiat huiusmodi permuta-
tio: si fieri cēseatur uirtute prolationis uerborum,
consecrationi faciundæ assignatorum. ¶ Adhiben-
da illi est responsio, uoces quidem ipsas consecrato-
rias: euanidas esse & occiduas. atq; tum solum eas
subsistere: cū a loquente proferuntur. Virtus tñ dei
per uoces illas operatoria, permanens est & æter-
na: neq; minus efficax desitis uocibus, atq; si inco-
lumes adhuc persisterēt. Proinde cooperatoria uo-
cibus pronunciantis, dei uirtute, interitus & occa-
sus nescia: in puncto atq; articulo perfectæ prola-
tionis, hæc fit trāsmutatio panis & uini in corpus
& sanguinem Christi. Quemadmodum B. Augu-
stinus in libro 19. contra Faustum, cap. 16. de uer-
bis sacramentalibus consimilem profert sententi-
am, dicens: Quid sunt aliud, quæq; corporalia sa-
cramenta: nisi quædam quasi uerba uisibilia? sa-
cro sancta quidem: ueruntamen mutabilia & tem-
poralia. Deus enim æternus est: nec tamen aqua et
omnis illa actio corporalis quæ agitur cum bap-
tizamus, & fit, & transit, æterna est. Vbi rursus etiā

am illæ syllabæ celeriter sonantes & transeuntes, cum dicitur deus: nisi dicantur, non consecratur. Hæc omnia, fiunt & transeunt: sonant & transeunt. Virtus tamen quæ per ista operatur: iugiter manet. & donum spirituale quod per ista insinuat: æternum est. Hæc ille.

¶ At uero quoniam totius controuersie summa inter Oecolampadium & catholicos uersatur circa hanc materiam, in prædictorum domini uerborum, hoc est, corpus meum, ad consecrationem hostiæ pertinentium intelligentia: aperiendus est illorum germanus ac proprius sensus, ad quem tanquam scopum intendere debet religiosa mens fidelium: illique tanquam firmæ anchoræ fidei, indubitato inharere. Est igitur prædicta propositio, citra tropum omnem & figuram intelligenda de x̄o Christi corpore: quod post debitam uerborum illorum prolationem, sub specie panis secundum substantiam & re ipsa delitescit. Pronomen autem illud demonstratiuum, id ipsum demonstrat: quod transacta prolatione, sub forma panis continetur, ut hic habeatur genuinus eorū uerborum sensus. Hoc, quod exacta uerborum pronuntiatione, sub specie panis delitescit: est corpus meum. Vnde ibidem non ad sensum corporalem, sed ad intellectum sit illius rei demonstratio: quæ diuinorū uirtute uerborum ueraciter & secundum rem, sub panis latitat forma. Et ea ipsa res: est uerum Christi corpus, secundum propriam naturam & substantiam. Quare idem prorsus designatur per demonstratorium illud pronomen: & subiunctam dictionem, corpus meum. Et ita per protritā dictionem, regulam, prædicatiua illa atq; affirmatoria propositio, cuius extrema pro eodē omnino

¶ Quis horæ dñi uerborū sensus, hoc ē corpus meū.

DE SACRAMENTO

Matt. 26.

Luca. 22.

4
Quis horum
verborum
sensus. hic
est calix san-
guis mei.

Ambrosi.

sumuntur: est uera. Hanc autem uerborum domini intelligentiam, & ipsa glossa interlinearis insinuat Matthæ. 26. cap. pronomen illud demonstratiuum ita explicans. Hoc, quod sub specie panis uidetur: est corpus meum. Et eadem glossa Lucae 22. capit. in hunc modum a priore non dissimile, explanat eandem periculum demonstratoriam. Hoc, quod sub specie panis apparet: est corpus meum. In utraque tamen expositione: uerba presentis temporis, uidetur, apparet, & est: referenda sunt ad punctum illud & momentum temporis, quod ipsam claudit uerborum dominicorum a sacerdote prolationem, quam tunc primum & non anteriore temporis articulo, uerum Christi corpus, sub specie panis illic uidetur, apparet, & continetur. ¶ Eodem quoque prorsus modo intelligenda sunt uerba, calicis sacri consecratoria. Hic est calix sanguinis mei, quod tantundem ualeat: atque si quis dixerit. hic est calix: sanguinem meum specie uini occultatum uere continens. Quod sane dictum: uerissimum est, sicut & ab ore summæ ueritatis prolatum. attendendo tempus, fini prolationis eorum uerborum adiacens: & non præcedens. Quam (ut modo dictum est) in tempore prolationis, finem eorum uerborum antecedente: necdum facta est panis in corpus, & uini in sanguinem Christi conuersio sed in extremo pronuntiationis illius articulo, repente & subitarie fit: immensa illa Dei potestate, quæ mora temporis non indiget in admirandis suis operibus. Nescit enim (ut ait Ambrosius) tardamolimina: spiritus sancti gratia. Hoc autem sacramentum quod in altari conficitur: uirtute spiritus sancti potissimum perficitur. cuius gratia operatoria admirabilis illius mysterij: inuocatur a sacerdote sacra faciente, circa ipsius missæ offertorium: his uer-

bis aut cōsimilibus. Veni inuisibilis sanctificator, sancte spūs: ueni, sanctifica hoc sacrificiū, ad honorem nominis tui præparatum, in nomine patris & filij, & spiritus sancti, Amē: Vnde ex adductis sparsim in anterioribus huius libri locis sanctorū patris autoritatibus, constat hanc unam eorū oīm esse sententiam: q̄ uirtute immensa atq̄ efficacissima spiritus sancti, sit per uerborū consecrationis prolationem conuersio supra omnem naturæ modum, panis in uerū Christi corpus, & uini in sanguinem. ¶ Porro hic uerborū consecrationis & panis & calicis sensus, mō assignatus: non mō ecclēsiæ sanctæ & sacrorū autorū intelligentiæ, pietatq̄ fidei est cōsentaneus: sed & facilis est captus & idoneus ad mille anfractus, ambages, & scopulos errorū intricatarūq̄ quæstionum deuitandos. Nihil enim scrupuli relinquitur amplectenti hanc mō propositam explanationē: neq̄ quicq̄ occurrat obuium aut interuenit perplexum, quod ueritatem offendat aut sacram lædat religionem. Quæ si quis pergat ea uerba panis consecratoria, cum Oecolampadio exponere in hanc formā. Hoc est corpus meum, id est, hoc significat corpus meū, uel: hoc est figura corporis mei. demonstrato per id pronomen hoc, pane illo materiali: quem asserit post peractam consecrationem manere secundum substantiam, perinde atq̄ ante eam fuerat, nulla profus in eo demutatione facta: primū in hoc incidit impietatis barathræ, q̄ abnegat uerū Christi corpus post consecrationem sub forma panis re ipsa contineri: sed solum ibidem asserit esse panem materiale & frumētarium: qui sit figura, signū & representatio corporis Christi passi pro nobis & nunc ad dexteram patris in cœlo consistentis.

Inuocatio
sa. spūs in
missa fieri
solita.

5.

Expōnis
uerborum
dñi, ab Oe
colamp. as
signatæ cō
futatatio.

DE SACRAMENTO

Mat. 26

Quod plane impium dogma: per totum hūc librum multipliciter elisum est & confutatū. Deinde in-
tempestiuum illum, & importunum esse tropum
(iuxta quem: uerba prædicta uolunt aduersarij in-
telligi) liquido produnt subsequentiā Christi uer-
ba, de corpore quidem: continuo subnectentis. qđ
pro uobis tradetur. de sanguine uero, qui pro uobis
& pro multis effundetur. Ea siquidem uerba, non
figuræ corporis aut signo sacri sanguinis, cōpetere
queunt: sed uero tm̄ corpori, & uero itidem san-
guini. Verum nanq; Christi corpus: pro nobis in
mortem traditum est. & uerus etiam eius sanguis
(non figura illius, aut signum) pro nobis effusus
est in remissionem peccatorū. Cōstat igitur omni
ex parte (ut supra etiam est dictum) Oecolampa-
dianam illam expositionem: ueritati nequaq; co-
hærere.

6
Absurda
eorundem
dñi uerbo-
rū exposi-
tio: ab alijs
conficta

Ioan. 2

Sed lōge magis abhorret a uero, absurdi-
orque censerī debet aliorū sententia: qua censent in
hisce uerbis: Hoc est corpus meum, Christū pro-
nomine illo hoc, nequaq; demonstrasse suum cor-
pus sub speciebus panis contentum: neq; panē il-
lum materiale, quem manu tenebat. sed propri-
um suum corpus in mensa recumbens: & sub mē-
bro: distinctione discipulis conspicuum. Haud
aliter q̄ Iudæis ante dicens: soluite templum hoc,
pronomine hoc, suum ostendit corpus: sacre deita-
tis tēplum. quoda Iudæis per mortem, animaq;
disseparationem erat soluēdum. Et ita cum de san-
guine dñs noster in cœna sermonem hunc subre-
xit: hic est calix sanguinis mei, proprium sui cor-
poris uenis contentum sanguinem sub forma uifi-
bili, demonstrasse ipsum cōtendunt hi improbi do-
gmatisæ: ut abnegent ueritatem dominici corpo-
ris & sanguinis in eucharistia. Verū si id astruere

pergant: consequens est eos asserere etiam debere, q̄ cum dñs ante dixit apostolis, accepto pane: Accipite & manducate ex hoc omnes: ipsum eo pronomine etiam demonstrasse suū ipsius corpus mensæ accumbens, & oculis discipulorū obiectum. Et ita ipsis dixisse: q̄ ex illo suo corpe discipuli manducarent, singuli scilicet abreptam corporis illius in frustra dilaniandi particulam: ritu ferarū. Eandem enim prorsus rem demonstrat pronomen hoc, in priore illa uerborū domini parte: manducate ex hoc omnes. & in hac posteriore: continuo subsequente, hoc est corpus meum. Coguntur itidem hī noui uerborū domini expositores admittere: q̄ cū porrecto calice dixit ipse discipulis suis: Accipite & bibite ex hoc omnes, ipsum eo pronomine etiam demonstrasse suum preciosum sanguinem: in corporis sui, discipulorū obrutibus obuij uenis, diuinitate & materialiter consistentem, dixisseq; ut illum suis extractum receptaculis crudum & sub propria cruoris forma biberent, quandoquidē eandem prorsus res demonstratur pronomine hoc, in prioribus illis domini nostri uerbis. bibite ex hoc omnes. & in his posterioribus. hic est sanguis meus. Sed quis hanc non exhorreat & detestetur extremam impietatem: q̄ Christus Thyestæam atque Diomedæam nobis mensam proposuerit? uolueritq; a discipulis suis carnē suam in particulas discissam: Anthropophagorū aut Cycloporū more manducari, & sanguinem suum sub forma propria uisibilisq; sanguinis potari? cum ab hac crassa & stulta intelligentia, tantopere studuerit Christus Capharnaitas & discipulos suos (quibus durus uidebatur eius sermo) abducere: & ad rectum suorū uerborū sensum eisdem reuocare, Nulla certe alia

Matt. 26.

Cōfutatō
expositō-
nis: postre-
mo data:

Ioan. 6

K 4

DE SACRAMENTO

cōfutatione indiget hęc secundo loco adducta nō
 nullorū aduersariorū expositio: quam cōsecratorij
 dñi uerbis assignant. Nam extrema hęc absurdi-
 tas & impietas, ipsam e directo consequens. satis
 7 superq; eandem damnat & explodit. ¶ Caterum
 nunc claudendus est nobis huius libri sermo: q; ea
 sufficienter iam discussa hic uidentur, quę ad sub-
 iectam pertinent materiam, propriūq; animi no-
 stri institutum: utpote ad astruendam contra ad-
 uersarios dñici corporis & sanguinis in eucharis-
 tia ueritatem. Quam consolidare utcunq; sumus
 annixi, primū sanctę scripturę tam ueteris q̄ no-
 ui testamenti autoritate: adhibitis sacrorū interpre-
 tum in eosdem locos explanationibus. Secundo,
 canonicarū sanctionum testimonijs: ex illustrium
 scriptorū ecclesię doctorū operibus, citatis. Ter-
 tio uero loco, antiquorum & insignium autorum
 sacrorum sententijs: ex diuersis ipsorum scriptis,
 affatim adductis. Quarto deniq; ordine, idem con-
 struere sumus conati: ex ipsa ecclesię diutina ob-
 seruatione: assiduo usu comprobata. Postremo au-
 tem, ex ritu adorationis Eucharistię publico: &
 institutione festi corporis Christi: Non diffiteor
 equidem multo plura & sublimiora de hoc excel-
 lentissimo sacri corporis, & sanguinis Christi my-
 sterio afferri posse: quod humano ingenio cōuen-
 dari satis & explicari nequit. Verum ea ut minus
 proposito nostro congruentia, hic prætermitten-
 da duximus: & ab alijs sacris autoribus (qui ple-
 nis & explicatis uelis: illud æquor sunt emensi) po-
 Ambrosi. tius exquirenda. Quales sunt eximij patres: Am-
 Guilh. Pa. bro, in lib. de initiandis mysterijs, & postremis su-
 Hugo de is libris de sacramētis, Guilhelmus Parisien. in o-
 S. Victore pere suo diffuso de sacramētis, Hugo de S. V.

Epilo. eorū
 q̄ i hoc li-
 bro sunt
 tractata.

Ambrosi.

Guilh. Pa.

Hugo de
S. Victore

DE SACRAMENTO

ctore: in tota sui secundi libri de sacramentis, parte octava, & complures alii id genus scriptores sacri: supra nominati. Insuper sacrarum literarum eruditione clarissimi uiri: Alexander de Ales, Thomas Aquinas, Bonaventura: in suis sup quatuor sententiarum librum commentarijs & summis theologicis: Gabriel biel: in sua expositione luculenta de canone missæ. & cæteri doctores scholastici: qui in suis lucubrationibus disceptatorijs, exactissime & amplissime materiam totam de uenerabili eucharistiæ sacramento pertractarunt. Ex quorum diligenti lectione, ueritatis dinoscenda studiosus uberius hauriet: quæ ad locupletiorum huius altissimi mysterij pertinent notionem, & ad augustiorem dei nostri, in tanto ac tali munere nobis indulto, uenerationem. Cui sit honor & gloria: atque gratiarum actio: in sæcula, sæculorum. Amen.

Alexan.
de Ales.
Thomas
Aquinas.
Bonauen-
tura.
Gabriel
Biel.

PRIMI LIBRI DE SACRAMEN-
to eucharistiæ, contra Oecolampadi-
um: finis. K 9

DE SACRAMENTO
DE SACRAMENTO EVCHA-
ristiæ contra Oecolampadium, liber secundus: ra-
tiones Oecolampadianas, contra ueritatem domi-
nici corporis & sanguinis in eucharistia, obie-
ctas dissoluens.

¶ Magnum in sacro eucharistiæ mysterio
esse miraculum: neq; illud alia indigere at-
tentione quam euangelij, in quo id ipsū pla-
ne explicatur. Cap. I.



¶ **Q**ui magnum segetis prouētū ex agro
diligēter exculto colligere satagit, nō
mō sedulā nauat operā ut bonū sulcis
illius mādet semen: uerum etiam soli-
citus inuigilat, ut succrescentes herbe
noxiae inelixa lolium lapæq; & tribuli euellantur
ne surgentem suffocent segetem & opprimant. Si
præterea uepres, sentes aut frutices innascantur ar-
uis quibus cōmendatum est tritici semen: summo
studio curat colonis spinas omnes & nociua uir-
gulta protinus succidi. ne sint impedimento exor-
ientibus culmis: expectata. q; messe illum defrauden-
t. Haud secus qui spirituale ueritatis catholice
semē, fidelium cordibus tanquam fecundis agris
inserere studuerit: magnopere debet eniti, ne ini-
micus homo superfeminet illis zizania errorum
& sterile gramē, ne increcant etiam ipsis aculea-
tæ spinæ aut arbuta senticosa prauorum dogma-
tū. Proinde tricas omnes atq; argutias aduersario-
rum ueritatis, quas obijciunt in partem aduersā
sam spiritualis ille seminator dissoluat oportet ut
acuta ueræ doctrinæ falce, excisis uepribus captio-
num, syncræ fidei repugnantium; commissū ar-

Matth, 13.